Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

humanam cui tribuit deus intellectum cognoscendi creatorem suum dinos[cendi] cen-
di et distinguendi inter bonum et malum, hoc est inter iustum et iniustum, quanta a-
git per corpus. Attendite universum orbem terrarum ordinatum in ipsa humana re pu-
blica, quibus administrationibus, quibus ordinibus potestatum, conditionibus civitatum, mo-
ribus, legibus, artibus. Hoc totum per animam geritur, et haec vis animae non videtur. Cum sub-
trahitur corpori cadaver iacet; cum autem adest corpori, primo condit quodammodo puto-
res. Corruptibilis est enim omnis caro, in putredines defluit, nisi quodam condimento
animae teneatur. Sed hoc commune illi est cum pecoris anima. Illa magis miran-
da quae dixi, quae ad mentem et intellectum pertinent, ubi etiam ad imaginem creatoris
sui renovatur, ad cuius imaginem factus est homo. Quid erit haec vis animae cum et
corpus hoc induerit in mortalitatem. Si tanta potest per carnem corruptibilem,
quid poterit per corpus spiritale post resurrectionem mortuorum. Haec tamen anima ut
dixi admirabilis naturae atque substantiae invisibilis res est et intelligibi-
lis, et haec tamen per ipsum dominum facta est, quia ipse est verbum dei. Omnia per ipsum facta sunt,
et sine ipso factum est nihil. Cum tanta ergo videamus facta per dominum Iesum, quid mi-
ramur aquam in vinum conversam per hominem Iesum. Neque enim sic factus est homo
ut perderet quod deus erat. Accessit illi homo, non amisit est deus. Ipse ergo fecit hoc qui
illa omnia. Non itaque miremur quia deus fecit, sed amemus quia inter nos fecit, et propter re-
demptionem nostram fecit. Aliud enim et in ipsis factis innuit nobis. Puto quod non sine
causa venit ad nuptias. Excepto miraculo, aliquid et in ipso facto mysterii
et sacramenti latet. Pulsemus ut aperiat, et de vino invisibili inebriet nos, quia et
nos aqua eramus, et vinum nos fecit. Sapimus enim fidem ipsius, qui prius insipientes eramus.
Et forte ad ipsam sapientiam pertinet cum honore dei et cum laude maiestatis eius
et cum caritate potentissime misericordiae eius intelligere quid sit gestum in hoc mira-
culo. Dominus invitatus ad nuptias venit. Quid mirum si in illam domum ad nupti-
as venit, qui in hunc mundum ad nuptias venit. Si enim non venit ad nuptias,
ergo non hic habet sponsam. Et quid est quod ait apostolus: Aptavi vos uni viro virginem
castam exhibere Christo. Quid est quod timet ne virginitas sponsae Christi per astutiam
diaboli corrumpatur. Timeo inquit ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic
et vestrae mentes corrumpantur a simplicitate et castitate quae est in Christo. Habet ergo hic
sponsam quam redemit sanguine suo, et cui pignus dedit spiritum sanctum. Eruit eam
de mancipio diaboli, mortuus est propter delicta eius, resurrexit propter iustifica-

incorruptionem. et mortale hoc induerit